

Heinrich Müller

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis D. Henricus Müller/ Theol. Prof. Ordinarius, Facultatis suae hodie Decanus & ad Div. Mariae Pastor Infantulae mellitissimae Annae Mariae Quistorpin/ Funus indicit, Et ad eundum exequias Omnium ordinum Cives Academicos ... invitat : P.P. V. Ianuar. Anno M DC LXIV. Sub sigillo Rectoratus**

Rostochi[i]: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776779990>

Druck Freier  Zugang



Müller, H.,  
in  
A. M. Quistorp.

Rostock.(1664.)

53.















PROGRAMMA 110.

*Quo*  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
D. HENRICUS

Müller /

Theol. Prof. Ordinarius, Facul-  
tatis suæ hodie Decanus & ad Div.

Mariæ Pastor

*Infantula mellitissima*

ANNÆ MARIÆ



Quistorpin /

Funus indicit,

Et ad eundum exequias

Omnium ordinum Cives Academicos sedulo  
serioq; invitat

*P. P. V. Januar. Anno MDC LXIV.*

Sub sigillo Rectoratus.



Rostochl, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



*AUGUSTINUS* *serm. XLII.*

A prima infantia usq; ad decrepitam ætatem spatium breve est, quod tamdiu vixerat Adam, quid profuisset ei magis, si mortuus fuisset hodie? Quid diu est, ubi finis est? Et modo cum loquimur, utiq; transimus: verba currunt, horæ volant; sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honores nostri, sic ista felicitas nostra. In hoc ergo parvo spatio vitæ bene vivamus, ut illò eamus, unde non transeamus.





**D**unctum, inquit Seneca, est vita nostra. Adhuc puncto minus. Nimirū vix attigimus vitam, cum iam illā cum morte commutamus. quod præteritum vitæ est, iam non est, sed fuit; quod futurū, nondum est, nec in nostra sitū potestate; instans est quæ actua est vita & punctū quoddā indivisibile. Vita hujus principium mortis exordium est, nec prius incipit augeri etas nostra, quam minui, cui si quid adjiciatur spatii temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat, sed ut pereat, scite inquit Ambrosius l. I de voc. Gent. c. 8. Nec minus eleganter Hieronymus super illud Es. XL Omnis caro fœnum; Si quis, inquit, fragilitatem carnis adspiciat, & quod per horarum momenta crescimus atq; decrescimus, nec in eodem manemus statu, ipsum quoq; quod loquimur, dictamus, & scribimus de vita nostræ parte prætervolat; non dubitabit carnem dicere fœnum, & gloriam ejus quasi florem fœni. Qui dudum infans, subito puer, qui puer, repente juvenis, & usq; ad senectutem per spatia mutatur incerta, & ante se senem intelligit, quam se non juvenem esse miretur. Nimirum, ad originem parce utitur viribus suis natura, ad ruinam vero subito



subitò toto imperu venit, Urbes constituit longa ætas,  
hora dissolvit. Momento fit cinis, diu sylva, quam  
longo tempore opus est, ut conceptus infans ad puer-  
perium perducatur, quantis laboribus tener educa-  
tur, quam diligenti nutrimento obnoxium novissime  
corpus adolescit: at quàm nullo negotio solvitur! Ad-  
vertens id Alexis Poëta, interroganti cuidam quid a-  
geret? responsi loco reposuit; *paulatim morior*. Nam  
dum crescit vita, decrescit, & hunc, quem agimus di-  
em, cum morte dividimus. Quid decrementum vitæ  
continuum aliud, quam mors paulatim procedens?  
Statim ac in lucem editur infans, pannis lineis, ferali  
veluti obvolvitur amictu: quæ res indicio est, vitam  
hancce mortem potius dicendam quam vitam, idem-  
que esse incipere vivere ac incipere mori. *Ingreditur  
infans pannis*, eleganter scribit Tertullianus l. IV con-  
tr. Marcionem, *veluti sepultura involucris, initiatus. Mi-  
litia est vita hominum super terra*, inquit vexatissimus  
pariter & patientissimus qui unquam vixerunt viro-  
rum Hiob. c. VII, 1. Nimirum, quia, sicut militia certa  
militantium mors est, sic vita nostra se debellat ipsam,  
& nihil aliud est vivere, quam à vitæ cursu deficere,  
tanto celerius, quanto quis diutius vivit. Quod confi-  
derans Gregorius l. VIII Moral. in Job. exponens  
præsentem locum concinne admodum scribit; *Mili-  
tia est vita hominis super terram, quia unusquisq;, dum  
quotidie ad terminum vitæ per augmentum tendit tempo-  
rum,*



rum, augendo vitam, vivere desinit: Sicut itinerantis gressus, dum in anteriora proficit, quod restat iter, decrescit; sic vita nostra militia est, quæ quò ad augmentum deducitur, eò ut non sit, finitur. Aptissimam hanc in rem similitudinem affert Seneca, similem esse vitam nostram, dicens horologio arenæ, cujus transitus duratio est merum transire. Neq; enim dicimus ad ultimum arenæ granulum; nunc transit arena, sed, nunc finivit suum transitum, nam ab initio cœperat transire: Sic vitæ nostræ tempus non transit, cum moritur homo; sed finitur, transit autem dum vivit, & dum crescit, decrescit, candelæ ad instar, quæ accensa, seipsam vivendo s. ardendo, exstinguit. Experta hanc vitæ fragilitatem est ANNA MARIA nostra, quæ ante semiannum nata, nunc sub ipsis novianni auspiciis denata, agere inter mortales desinit. Nata, inquam, illa est ante semiannum d. 22. Junii An. M DC LXIII, Patre perquã Reverendo & Excellentissimo DN. JOHANNE QVISTORPIO, Theologo Doctore & Professore celeberrimo, Fac. Seniore, & ad Div. Jacobi Pastore vigilantissimo, Collega nostro & in Christo fratre conjunctissimo, matre præclari generis rarissimarumq; Virtutũ foemina SOPHIA Scharffenberges. Avum paternum habuit Virum de Ecclesia & Academia hac optime meritum, D. JOHANNEM QVISTORPIUM, Theologum Professore, Facultatis SENIOREM, ad Div. Mariæ Pastorem, & Ecclesiæ nostratis Superintendentem, gravissimum pariter ac fidelissimum. Avum maternum  
DN. NI-



D. NICOLAUM Scharffenberg/ Civitatis hujus Con-  
sulem laudatissimum. Protenus a lucem adspexisset  
Beatula nostra, princeps parentum cura fuit, uti sacris  
continuo initiaretur, &, quæ de carne caro nata erat,  
ex aqua & spiritu renasceret hæres æternæ salutis,  
per Jesum nostrum partæ. Proximam huic in fingenda  
eximie, formandaq; lubentes collocavissent, nî omni-  
um optimus disciplinæ morumq; Magister anticipas-  
set, suæq; miseris hisce d. 2. Jan. h. anni ereptam alu-  
mnam Scholæ, immane quantum hac nostra præstan-  
tioris! esse maluisset. Egregie certe cum illa actum,  
ô parentes! Quotocunq; enim studio curavissetis re-  
ctiori vitæ adsvefaciendam, fieri tamen non poterat,  
quin vitii identidem quid interlaberetur, quod cum  
honestate simul non segniter imbiberet. At sub eo,  
quo hodie utitur Ephoro, & fiet & jam facta est Vir-  
tus ipsa. Nolite ergo operosius conqueri de eo, quod  
remota è conspectu vestro sit, quæ vobis animitus di-  
lecta: cogitate potius, mortales vos esse ipsos, & mor-  
talem procreasse filiam. Auditâ morte Filii, Anaxa-  
goras, nihil, referenti de ea, respondit, mihi inexpectatum  
aut novum nuncias: ego enim ex me natum,  
dudum sciebam esse mortalem. Nimirum quæ viven-  
di, eadem etiam moriendi, eodem temporis momen-  
to legem dedit natura rerum. Moriemur? hac condi-  
tione intravimus, ut exiremus. Gentium jus omnium  
est reddere, quod acceperis commodatum, Peregri-  
natio est vita: post multam deambulationem rede-  
undum



undum est. Nec primus tu, nec ultimus, antecesserunt te multi, sequentur omnes. Aes alienum, non tuum, vita tua est, restituendum creditori, quandoquē; petierit. Quisquis ergo queritur, aliquem mortuum esse, queritur hominem fuisse. Omnibus, quēis nasci contingit, mori restat. Intervallis distinguimur, exitu æquamur omnes. Eo igitur æquiore animo esse debetis, quod quam amisistis, sequimini. Non amissa est, sed præmissa, non recessit, sed præcessit. At, inquietis forsitan, juvencula est, quam amisimus, nostra. Ergo fortasse alicui malo per mortem subducta, si nulli alii, certe vel senectuti, quæ sola malorum omnium læna est & quædam colluvies. Non refert, quot annos habuerit vestra, sed quot acceperit; quandoquidem plus vivere non posse, hæc est senectus vera. Cogitate vitæ veræ non finem, sed initium esse mortem beatam. Non denata vestra est, sed renata. Nova in morte origo nos exspectat, novus rerum status. Nec hora illa decretoria, ad cuius objectam speciem exhorrescimus omnes, animæ suprema est, sed quod illam vestit, & quasi captivam tenet, corruptibili corpori. Dies, inquam, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalis est. Gemimus & ploramus relicturni habitaculum hocce luteum, sed hoc ipsum flere nascentium est. Cogitate, ex termino judicandum esse de via. cum ergo per mortem, tanquam per viam, transferit Vestra in æternitatem felicitatis veræ portum, nolite invidere illi, quam ipsi habetis in desideriis. *Si diligeretis me, inquit Servator ad discipulos suos Joh. XIV, 28. gauderetis utiq;*



*sig.*, quod dixi; vado ad Patrem. Si dilexistis vestram, temperate lacrymis, gaudete, & ipsi pariter ac vobis gratulamini, quod de seculo exiit eò, ubi nulla amplius premitur timendi necessitate; ex periculis posita in securitatem; ex labore in quietem, ex dolore in voluptatem, ex exsilio in patriam, ex alto in portum, ex orco in coelum. Cogitate voluntatem vobis votorum vestrorum normam non vestram, sed divinam esse debere, qui quotidie à Domino iussi oratis; *Fiat voluntas tua.* Quàm præposterum vero, quamq; perversum, cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando nos aut nostros evocat ex hoc ergastulo, non tantum non parere imperanti, sed & obniti ac reluctari; & dum necessitatis vinculo, nõ obsequio voluntatis tristes quasi & inviti ipsi, quod dedit, reddimus, præmiis ab ipso velle honorari cœlestibus! Cogitate, nullam vobis ex præpropera hac morte factam esse injuriam, sed beneficium datum, quod tantillo tempore Vestra frui licuit. Iniquus est, qui muneris ex gratia sibi & ad tempus quidem concessi arbitrium danti non relinquit: avidus, qui non lucrifloco habet, quod accepit, sed damnum æstimat quod reddit: ingratus est, qui injuriam vocat finem voluptatis: stultus, qui nullum fructum cenfer esse bonorum, nisi præsentium, qui non & in præteritis acquiescit, & à Deo habuisse pro nihilo ducit. Non est, quod cogiteris, quanto diutius habere poteritis, sed quamdiu habueritis. Commodavit Filiam DEUS repetiturus eam, ubi visum fuerit, nec vestram satietatem secuturus, sed voluntatem suam. Si, qui liberos dedit mutuo DEUS, à quo vult debitum exigit suum, suo quidem jure usus nemini facit injuriam. Gaudete igitur vos usum fructum tanto tempore habuisse, & quamvis fuerit brevior desiderio, boni consulite, cogitantes, jucundissimum fuisse quod habuistis, humanum, quod perdidistis. Plura in solatium vestrum, Parentes mœstissimi, hac quidem vice proferre supersedeo: Quid enim mari guttula? Tu certe, Vir venerande, tuapte sponte sistere lacrymas, filiolarumq; tuam, consercio calitum beatam, luctu intra modum terminosq; coërcito prosequi, quã animi es moderatione, potes, & vero etiam, quã sub vitæ mortisq; imperio comprehendere, debes, quod & facere te, ex literis tuis ad me perscriptis satis abunde constat.

Nostrium fuerit, *Cives Academicæ*, tenerrimæ infantulæ promissimas & frequentissimas ire exsequias. Quod ut faciatis, & nos serio hortamur, & qui funus adeant, obnixe abs vobis contendunt, daturi operam sedulo, ut hoc quicquid est officii, oblata occasione, pro virili demerantur.

Convenietur hora I. in æde Jacobæa.




















rum, augendo vitam, vivere desin-  
sus, dum in anteriora proficit,  
sic vita nostra militia est, quæ quæ-  
tur, eò ut non sit, finitur. Aptissi-  
litudinem affert Seneca, simile  
dicens horologio arenæ, cuius  
merum transire. Neq; enim d-  
næ granulum; nunc transit are-  
um transitum, nam ab initio c-  
tæ nostræ tempus non transit  
sed finitur, transit autem dum  
decrescit, candelæ ad instar, quæ  
vendo scardendo, exstinguit.  
gilitatem est ANNA MARIA  
annum nata, nunc sub ipsis non  
agere inter mortales desit. N-  
femiannum d. 22. Junii An. M  
Reverendo & Excellentissimo  
STORPIO, Theologo Doctor  
rimo, Fac. Seniore, & ad Div. Ja-  
mo, Collega nostro & in Christi-  
matre præclarigenis rarissima  
SOPHIA Scharffenberges.  
Virum de Ecclesia & Academi-  
D. JOHANNEM QVISTO  
Professorem, Facultatis SEN-  
Pastorem, & Ecclesiæ nostræ  
gravissimum pariter ac fidelissi-



merantis gres-  
iter, decrescit;  
mentum deduci-  
c in rem simi-  
am nostram.  
s duratio est  
ultimum are-  
unc finivit su-  
nsire: Sic vi-  
oritur homo;  
dum crescit,  
a, seipsam vi-  
nanc vitæ fra-  
uæ ante semi-  
viciis denata,  
m, illa est ante  
Patre perquã  
ANNE QVI-  
fore celebra-  
re vigilantissi-  
nunctissimo,  
rutũ foemina  
ernum habuit  
me meritum,  
Theologum,  
ad Div. Mariæ  
atendentem,  
m maternum  
DN. NI-